

Objic. 3.^o Tempus est: α) numerus vel mensura motus; β) diciturque esse in illo, sicut accidens in subjecto. Atqui α) mensura distinguitur a mensurato: itemque β) accidens a suo subjecto. Ergo...

Resp. ad α) dist. Major. Tempus extrinsecum et commune, *conc.*; tempus intrinsecum et proprium cuiusque motus, *subdist.*: est mensura realiter mesurans motum; *neg.*, mensurans solum secundum rationem, *trans.* Et *contradist.* Minor, *neg.* conseq.

Ad β) dist. Major.: tempus est accidens physicum motus, *neg.*, logicum et spectato modo cogitandi, *conc.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Objic. 4.^o Ea re distingui dicendum est, quæ diversis gaudent proprietatibus vel attributis. Atqui tempus et motus diversis proprietatibus gaudent: tempus siquidem dicitur longum vel breve, non vero motus; ac vicissim motus dicitur velox vel tardus, secus autem tempus. Ergo...

Resp. neg. Major. Quia sufficit rationis distinctio ad hoc, ut possint diversa prædicata et affectiones de eadem re prædicari, ut patet v. g. in animalitate et rationalitate.

Objic. 5.^o Motus saltem divinitus potest existere sine tempore, si nimirum Deus absque ulla successione motum aliquem peragat, id quod, quidquid sit de locali motu, certe in augmentatione atque alteratione posse Deum facere, superius vidimus. Ergo necesse est dicere tempus realiter a motu distingui.

Resp. neg. conseq. Nos enim non agimus hic de identitate cujuslibet motus, etiam instantanei, cum tempore, sed solum de identitate motus successivi; tempus enim instantaneum est chimæra.

ARTICULUS II.

Utrum tempus recte definiatur secundum Aristotelem: Numerus motus secundum prius et posterius.

326. Ex disputatis in præcedenti articulo, arduum non erit veriorum temporis definitionem exponere, ac tueri. Plures veterum definitiones temporis collegit Aristoteles (1)

(1) *Physicor.* lib. 4, cap. 10.

aliquæ (1). «Plato, ut eum Theophrastus, Eudemus et Alexander contra Simplicium interpretantur, existimavit tempus esse conversionem cælestis mundi (vel universi motum). Sic enim in *Timæo* scripsit: *Nox igitur et dies ad hunc modum et ob has generata sunt causas, nempe unius sapientissimæ conversionis circuitus. Mensis autem, quando luna, lustrato suo cursu, solem consecuta est; annus, ubi sol suum totum confecit, et peragravit orbem. Cæterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter se numero committuntur. Itaque ut sic dicam, nesciunt hos siderum errores id ipsum esse, quod dicitur tempus, multitudine quidem infinita, sed admirabili varietate præditos (2). Alii arbitrati sunt tempus esse amplissimam spheram totius universi, cujus opinionis Pythagoras auctor fuisse creditur, licet Architas ejus occasionem Pythagoreis dedisse existimetur, utpote qui, referente Simplicio, docuerit, tempus naturæ universi dimensionem esse. Eratosthenes autem tempus definebat solis iter» (3). Alii dixerunt tempus motum siderum, alii motum perpetuum, alii motum ipsum (4). Hæ tamen omnes definitiones in eo communiter deficiunt, quod ipsam temporis formalem rationem non attingant. Tempus enim quoad rem ipsam motus est, ut nobis quidem videtur, vel certe est modus vel accidens motus, ut aliis magis placet; a motu tamen saltem ratione distinguitur: quare nequit notio ejus satis declarari, nisi aliquid addatur. Præterea definitiones istæ fere omnes eo etiam vitio laborant, quod non*

(1) Vide Simplicium (in sua *digressione de Tempore*), Plutarchum (*de Placitis Philosophor.*, lib. 1, cap. 21), Galenum (lib. *de Historia philosophic.*, cap. 34), Sextum Empir. (*Pyrrhonicar. supposition.* lib. 3), Albertum M. (*Physicor.*, lib. 4, tract. 3, cap. 2), Mirandulanum (*de Exam. vanit.*, lib. 3, cap. 12).

(2) Vide Platonis *Opera Omnia*, volum. 2, pag. 210. Paris 1883. Alcinoüs tamen in suis Institutionibus de doctrina Platonis (cap. 14) mentem hujus Philosophi sic conatur interpretari, ac si idem prorsus sensisset de ratione motus, ac discipulus ejus Aristoteles. Cf. de San Alcinoüs impugnans (*Cosmolog.*, num. 583 in nota 2.^a).

(3) Conimbricenses, *Physicor.*, lib. 4, cap. 14, quest. 1, art. 2.
(4) Vide apud Roselli (*Summ. philos.*, tom. 2, quest. 12, art. 2). Verum de his aliisque definitionibus lege Simplicium (loc. cit.)

describant tempus in suo latissimo et adæquato conceptu, sed tantum motum extrinsecum et universalem.

Definitio
Leibnitzi
etiam excluditur.

Leibnitzius tempus definiuit ordinem seu relationem successivorum, sive existentium sive possibilium (1). At hæc definitio eodem argumento excluditur, quo similis definitio spatii ab eodem scriptore concinnata superius exclusæ est. Aliud nempe est in tempore fundari relationes quasdam durationis in rebus existentes, et aliud tempus formaliter in ejusmodi relationibus consistere. Sane tempus in seipso est duratio quædam successiva. Atqui duratio successiva non est entitas relativa, sicut etiam aliæ durationes non sunt relationes. Duratio enim est vel ipsa rei existentia permanens, vel, modus ejus. At nec existentia permanens rei, nec modus ejusmodi existentie, est formaliter relatio. Præterea si tempus, et generatim duratio, consisteret formaliter in relatione, spectaret ad relationis prædicamentum. Atqui non pertinet ad prædicamentum relationis, sed ad prædicamentum *Quando*.

Aristotelica
temporis
definitio

Alia est ergo nobilissima temporis definitio ab Aristotele tradita, quam Scholastici omnes uno ore approbant; ideoque magis miror, quod eam nostris diebus respuat, et impugnet clarissimus æque ac insignis Peripateticus P. Ludovicus de San (2). Ex doctrina Stagiritæ tempus est *numerus motus secundum prius et posterius* (3). Quæ definitio antequam explicetur, notandum est, per eam Aristotelem potissimum intendisse describere tempus extrinsecum et universale, quemadmodum plures interpretes gravissimique Doctores arbitrantur (4). Nihilominus ita feliciter confecta est, ut aptissime

(1) Vide apud Roselli (loc. cit. num. 474). Cfr. cl. Van der Aa (*Cosmolog.* prop. 75).

(2) *Cosmolog.*, num. 586 seqq.

(3) *Τὸ αὐτὸ γὰρ ἐστὶν ὁ Χρόνος, ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον.* Aristot., *Physicor.* lib. 4, cap. 11, text. 101.

(4) Vide S. Thom. (*Physicor.*, lib. 4, lect. 23.^a paragr. f.) cum Aristotele (ibid. cap. 14 a text. 132); Conimbricenses (ibid. quest. 1, art. 2); Benedictum Pereira (oper. citat lib. 12, cap. 4); Complutens. (ibid. disp. 21, quæst. 4); Mastrium (*Physic.* disp. 13, quæst. 4, art. 2, num. 52); Joann. a S. Thom. (*Physic.*, quæst. 18, art. 1 fin.); Suarez (loc. cit., sect. 11, num. 9).

possit ad omne tempus, sive extrinsecum et universale, sive intrinsecum etiam et particulare, demonstrandum servire.

Dicitur ergo tempus primo *numerus motus*. Quia ut ex dictis constat, tempus est essentialiter successivum et aliquid motus, sive re sive ratione distinctum. Atqui non potest esse aliud, quam numerus motus. Nam in motu successivo necessario sunt partes aliæ et aliæ, quæ non simul sunt, siquidem id est essentialiter successioni, ut nulla pars stet, vel permaneat, sed statim fluat, ac desinat esse, subsequente altera, quæ pariter perit, adveniente alia; et ita porro. Habet ergo motus successivus extensionem quamdam partium fluentium, quæ proinde est, ac durat successiva duratione. Jam tempus omnes concipimus instar magnitudinis et quantitatis, quæ est in *esse* successivo motus; nam interroganti quanta est motus existentia, proprie respondetur per tempus. Ergo tempus recte dicitur esse numerus motus secundum prius et posterius, nempe numerus partium motus, secundum quod prius et posterius fluunt; vel clarius, partes motus prout numeratæ, vel numerabiles sunt secundum fluxum alterius et alterius.

declaratur.

Notare enim debes numerum duplicem considerari posse: abstractum et concretum. Numerus concretus, qui etiam passivus et numeratus dicitur, est ipsæ res numeratæ, ut v. g. duo oculi, centum canes, mille partes: abstractus autem vel activus vel numerans, importat varias numeri species præscindendo a rebus ipsis numeratis, ut v. g. binarius, terminarius. Itaque in definitione aristotelica numerus intelligitur non abstractus, sed concretus, quasi diceretur: *Tempus est prius et posterius motus numeralum*. Id patet ex eodem Aristotele et communissima Philosophorum interpretatione (1). Deinde numeratio accipi potest bifariam: in actu primo, quatenus res est apta, ut numeretur: in actu secundo, quatenus de facto numeretur ab aliquo intellectu. Et in motu successivo, ex eo quod sint partes non stantes, sed fluentes, procedit quod *numerabiles* sint secundum prius et

(1) Vide Aristot. (*Physicor.*, lib. 4, cap. 11, text. 102 et cap. 12, text. 110); S. Thom. (ibid. lect. 17 fin.; et lect. 19, paragr. c; et opus. de *Tempore*, cap. 2 in medio).

posterius; et exinde mox consequitur, quod actu numerentur, quando adest, qui eas consideret. Itaque in temporis definitione numerus accipiendus esse videtur secundum aptitudinalem, non autem secundum actualem numerationem, ut ipsemet Aristoteles diserte tradidit his verbis: *Prius et posterius in motu sunt: tempus autem est hæc* (prius et posterius) *prout numerabilia sunt* (1). Sensus itaque definitionis est hic: *Tempus est numerus motus secundum prius et posterius*, id est, *motus prout numerabilis secundum priores ac posteriores partes*, vel ut scribit S. Thomas ex mente Aristotelis, *numerus alicujus rei numerata, scilicet prioris et posterioris in motu* (2), vel ipsum prius et posterius motus prout distincte numerabile a mente; vel pluralitas partium motus, prout successive numerabilium eo ordine, quo sunt, quarum alie labuntur prius, alie posterius (3). *Prius et posterius motus in quantum sunt numerabilia, sunt ipsum tempus*, inquit S. Thomas (4); et alibi: *Tempus est prius est posterius ut numerata* (nempe in actu primo) *sunt in motu* (5); et alibi: *Tempus est numerus numeratus, quia ipse numerus prioris et posterioris in motu tempus dicitur, vel etiam ipsa, quæ sunt prius et posterius, numerata* (6).

Expositio ista definitionis applicari potest, ut vides, omni temporis, sive universali sive particulari. Sed potest etiam ad significandum tempus universale, secundum quod est mensura cæterorum, contrahi; quia tempus ejusmodi est reapse numerus vel mensura prioris et posterioris in motu, quia numerando et assumendo priores et posteriores partes solaris temporis vel motus, puta dies, horas, etc., dimetitur, et cognoscimus tempus ac durationem cæterorum omnium motuum.

Jam bonitas aristotelicæ definitionis probanda est.

(1) Aristot., *Physicor.* lib. 4, cap. 14, text. 131.

(2) S. Thom., *Physicor.* lib. 4, lect. 19, paragr. c.

(3) Vide S. Thom. (loc. cit., lect. 17 et 19), Toletum (ibid. in Comment. textus 101 et quaest. 12), Benedict. Pereira (lect. cit. cap. 2 et 4).

(4) Ibid. lect. 23, paragr. e.

(5) S. Thom., opusc. *de Tempore*, cap. 2 in medio.

(6) S. Thom., ibid. lect. 17 fin.

et probatur.

Probatum autem 1.^o Quia id, quo aliquid judicamus plus et minus, est numerus ejus. Motum autem judicamus plurem aut minorem tempore (1). Ergo tempus est numerus.

Prob. 2.^o Illud est tempus, quo cogitato et animad verso in motu, statim apprehenditur tempus; quo non cogitato et apprehenso, neque apprehenditur tempus. Atqui apprehenso priori et posteriori in motu, illico advertitur tempus; non autem advertitur, donec prius et posterius in motu advertatur. Ergo... Apposite S. Thomas ex Aristotele: *Propter hoc... est ostensum, quod tempus sequitur motum, quia simul cognoscimus tempus et motum: secundum illud ergo tempus sequitur motum, quo cognito in motu, cognoscitur tempus. Sed tunc cognoscimus tempus, cum distinguimus determinando prius et posterius; et tunc dicimus fieri tempus, quando accipimus sensum prioris et posterioris in motu. Relinquitur ergo, quod tempus sequitur motum secundum prius et posterius* (2).

327. **Objic. 1.^o** Definitio clarior esse debet definito. Atqui definitio aristotelica certe non est clarior tempore. Tempus enim omnes norunt; quid autem sit numerus motus secundum prius et posterius, profecto difficilior intelligitur, quam ipsum tempus.

Resp. neg. Minor. Ad probationem, *dist.* Major. Tempus omnes norunt quoad existentiam, *conc.*; quoad quidditatem *neg.* Et *contra*dist. Minore, *neg.* conseq.

Instabis. Tempus saltem notius est motu; siquidem est mensura illius, mensura vero notior esse debet mensurato. Ergo perperam definitur per motum.—**Resp.** Tempus secundum suam naturam ignotius est motu, quia motus sensibus ipsis patet, non autem tempus. Ideoque recte tempus in genere describitur per ordinem ad motum. Cæterum hoc non vetat, quominus aliquod tempus, nempe universale, postquam bene cognoscitur, applicetur instar mensuræ ad aliorum motuum durationem relative cognoscendam.

Objic. 2.^o Cum Stratone Lampaceno. «Tempus est quantitas continua; numerus quantitas discreta. Igitur

(1) S. Thom., *Physicor.* lib. 4, lect. 17, paragr. g.

(2) S. Thom., ibid., paragr. e. Cfr. ib. paragr. f.; et initio ejusdem lectionis.

Quaedam
difficultates
solvuntur.

tempus non est numerus, atque adeo nec numerus motus» (1).

Resp. dist. Minor. Numerus abstractus, *trans*; numerus concretus, *subst.*: si res ipse numeratæ discretæ sint, *conc.*; si res numeratæ continuum conflent media unione aliqua vel continuatione, sicut conflant partes motus, *neg.* *Licet numerus, quo numeramus, inquit Angelicus, sit aliquid discretum; tamen tempus est aliquid continuum: sicut decem ulnæ panni sunt continuæ, licet numerus denarius sit aliquid discretum* (2).

Objic. 3.^o cum Galeno. *Prius et posterius* explicantur per tempus. Ergo si per hæc tempus definitur, idem per seipsum declaratur: quæ ratio definiendi circulum continet, et inepta est.

Resp. dist. antec. *Prius et posterius* temporis explicantur per tempus, *conc.* *Prius* et *posterius* partium motus in se, *neg.* Et similiter *dist.* consequens, et *neg.* suppositum, videlicet quod Aristoteles ejusve interpretes verba illa intelligant, prout arbitratur Galenus. Etenim *prius* et *posterius* non solum est in duratione ac tempore, sed etiam in motu, sive re sive sola ratione ab eo distinguatur, et in magnitudine, nempe in omni extensione: unde *prius* et *posterius* longe latius patet, estque ordo quidam partium secundum positionem. Sic in omni continuo etiam permanente, v. g. in loco et in hac charta potes alias aliis *priores* ac *posteriores* partes assignare. Immo vero ex doctrina Aristotelis non est *prius* et *posterius* in tempore, nisi quia est in motu, nec in motu, nisi quia est in magnitudine, quæ est illius subjectum (3).

(1) Apud Conimbrie., loc. cit. quæst. 1, art. 1.

(2) S. Thom., opusc. de Tempore, cap. 2 medio.

(3) *Ostendit* Aristoteles, quod idem ordo consideratur in *priori* et *posteriori*: et dicit, quod *prius* et *posterius* sunt *prius* in loco sive in magnitudine; et hoc ideo, quia magnitudo est quantitas positionem habens, de ratione autem positionis est *prius* et *posterius*: unde ex ipsa positione locus habet *prius* et *posterius*. Et quia in magnitudine est *prius* et *posterius*, necesse est, quod in motu sit *prius* et *posterius* proportionaliter his, quæ sunt ibi, scilicet in magnitudine et in loco: et per consequens etiam in tempore est *prius* et *posterius*; quia motus et tempus ita se habent, quod semper alterum eorum sequitur ad alterum. S. Thom. (lib. 4 *Physicor.* text. 17, paragr. c) cum Aristotele (ibid. cap. 11, text. 100).

Philosophus itaque *prius* et *posterius* in sua definitione temporis retulit ad partes distinctas, quæ secundum positionem sunt in ipsa entitativa extensione et magnitudine motus; ex qua prioritate ac posterioritate necessario sequitur in motu prioritas et posterioritas secundum durationem, seu tempus. Si enim motus non est ens permanens, nullæ partes ejus stant, sed perpetuò labuntur, ac fluunt, et sic existentia illarum ac duratio est successiva ita, ut aliæ post alias durent, et ita tempus constituent. Nullus ergo est circulus in aristotelica definitione (1): quandoquidem *prius* et *posterius* in ea non sumuntur, prout expriment durationem, sed prout componunt ipsam extensionem et magnitudinem motus.

Objic. 4.^o Tempus non solum est numerus, motus, sed etiam quietis, docente Augustino. *Etsi varie corpus aliquando movetur, aliquando stat, non solum motum ejus, sed etiam statum tempore metimur, et dicimus: Tantum stetit, quantum motum est, aut duplo vel triplo stetit ad id, quod motum est* (2). Ergo ponendum fuit in definitione: *numerus motus vel quietis*.

Respondeo, «tempus esse *per se* mensuram motus, quietis autem *ex accidente* (vel *per accidens*), ut Aristoteles asseruit (3), quatenus videlicet quies est privatio motus. Nam ea, quæ *per se* habitui conveniunt, *ex accidente* privationi accommodantur: ut cum aspectus *per se* sit luminis, *ex accidente* est tenebrarum. Quod autem tempus solius motus *per se* mensura sit, ex eo convincitur, quia tempus metitur rem secundum *prius* et *posterius*, a quorum uno ad alterum est transitus: at hæc in quiete non insunt, nisi facta ad motum relatione, atque adeo *ex accidente*. Ob hanc igitur rationem Aristoteles non per quietem, sed per motum tempus definit, cum unumquodque *per id*, quod *per se* illi convenit, definiiri oporteat» (4).

(1) Vide S. Thom., loc. nup. cit. paragr. f.

(2) S. August., *Confession.* lib. 11, cap. 24.

(3) Aristoteles (*Physicor.* lib. 4, cap. 12, text. 118). Vide S. Thom. (ibid. lect. 20, paragr. g seqq.)

(4) Conimbriens. (loc. cit. quæst. 1, art. 3, ad 6.^{am}). Cfr. Benedictus Pererius (loc. cit. cap. 3). Et vide S. Thom., loc. nup. cit.

Objic. 5.^o «In definitione aristotelica temporis videtur contineri duplex falsitas,» inquit cl. P. De San: prima penes hanc particulam *motus*, altera penes illam particulam *numerus*. Sane «*quandocationes* intrinsecam durationem motus constituentes, quæ sunt partes per se successivæ sive partes temporis..., eadem numero invenirentur in re, quæ movetur, etiamsi ea non moveretur (1): proindeque α tempus non subjectatur in motu, et β) tempus non necessario jungitur cum motu, sed invenitur in omni omnino re corruptibili.» Secunda falsitas continetur in voce *numerus*. Primo quidem, quia «per eam... significatur *quandocationibus*, suo fluxu durationem continuam constituentibus, non competere formaliter rationem temporis, nisi quatenus *operatione rationis actu distinguuntur, et numerantur.*» Quod apparet esse falsum. Secus enim dormientibus hominibus, vel non actu numerantibus *quandocationes*, non esset tempus. Præterea «partes temporis sunt tempora. Sed partes numeri non sunt numeri: ac proinde impossibile est dicere tempus formaliter esse numerum.» Denique «tempus juxta Aristotelem est infinitum, et juxta rei veritatem potuisset esse infinitum. Sed tempus infinitum non est numerus, quia infinitum nullo numero capitur» (2).

Resp. *neg.* assertum et probationem primæ falsitatis. Jam enim ostendimus in *Ontologia*, falsum esse principium, quod assumit R. P. De San, omnem videlicet creatam durationem esse formaliter successivam (3). Et quantum attinet ævum seu durationem substantiarum incorruptibilium, jam superius in præcedenti articulo demonstravimus, eam ex communissima S. Thomæ aliorumque Doctorum sententia, non esse successivam, sed permanentem. Idipsum ibidem innuimus, et in sequenti articulo probabimus, dicendum esse de duratione substantialis existentiae substantiarum corruptibilium; quamvis circa hoc non tanta sit veterum scriptorum

(1) Id se probasse monet clarus scriptor in *Cosmolog.*, num. 505 seqq., ubi statuit omnem creatam durationem esse formaliter successivam, ac realiter distingui a re creata per eam durante.

(2) Cl. P. De San, *Cosmolog.* num. 588-590.

(3) Vide *Ontolog.* num. 363, pag. 1049.

concordia. Itaque negamus eandem numero successivam durationem fore in re, sive moveatur sive non moveatur secundum suum esse: et consequenter negamus tempus aut non subjectari in motu, aut non necessario conjungi cum motu, sed inveniri in omni omnino re corruptibili; ut magis patebit in articulo sequenti. Illud etiam note, assertiones et consequentias istas clari scriptoris rejici etiam ab iis ipsis veteribus, qui concedunt substantiis sive corruptibilibus, sive etiam incorruptibilibus, durationes successivas. Et ratio potest esse, quia in omni duratione successiva jam adest aliquis motus. Sed de hoc videant ipsi illi auctores.

Probationes etiam alterius falsitatis non subsistunt. Prima modo præoccupata est, cum aristotelicam definitionem declararem. Ad secundam respondeo numerum temporis esse numerum numeratum, et quidem continuum, non discretum. Partes autem continui necessario sunt numeri, nempe continent possibilem numerum, quia omnes sunt divisibiles ulterius, quin possit deveniri ad indivisibilia seu unitates. Ergo ratio objecta inanissima est. Nec magis valet postremum argumentum. Quidquid sit de mente Aristotelis circa tempus infinitum, equidem nego posse tempus actu infinitum esse, sive a parte ante ob rationes, propter quas in primo libro hujus voluminis ostendimus cum communissima sententia repugnare creationem æternam quoad entia successiva; sive a parte post, quia tempus a parte potest non potest esse nisi indefinitum, ut constat ex disputatis contra repugnantiam infinitæ actu multitudinis. Ergo ex definitione aristotelica non necessario sequitur, aut quod tempus debeat esse infinitum, aut quod admitendus sit numerus infinitus. Plura si cupis, adi veteres auctores.

328. SCHOLIUM. Nunc forte commodius resolvi breviter poterit controversia illa, quam initio præcedentis articuli diximus agitari inter auctores, qui communissime conveniunt in decernendo, tempus esse reale quiddam, non autem ens rationis. Nempe estne tempus ita reale, ut nullum complementum accipiat ab intellectu operatione? Alii affirmant, alii negant, ut superius diximus: et nescio, an ipsemet

Utrum
temporis notio
accipiat aliquod
complementum
ab intellectu.

Aquinas semper idem senserit (1). Aristoteles (2) videtur docere, tempus esse non posse sine anima vel intellectu, qui possit prius et posterius motus numerare; quamvis mentem ejus non omnes interpretes videantur eodem modo exponere (3). S. Thomas ita rem interpretatur, tempus quidem secundum omnes suas partes reale esse, prout tamen unum quiddam totum accipitur, egere mentis operatione, et sub hoc respectu complementum accipere ab anima. *Si... motus haberet esse fixum in rebus, sicut lapis vel equus, posset absolute dici, quod sicut etiam anima non existente est numerus lapidis, ita etiam anima non existente esset numerus motus, qui est tempus. Sed motus non habet esse fixum in rebus, nec aliquid actu invenitur in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus, quod est motus divisio: sed totalitas motus accipitur per considerationem animæ, comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur, et tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile. Ipsa tamen totalitas temporis accipitur per ordinationem animæ numerantis prius et posterius in motu, ut supra dictum est; et ideo signanter dicit Philosophus, quod tempus, non existente anima, est utcumque ens, idest imperfecte; sicut et si dicatur, quod motum contingit esse sine anima imperfecte. Et per hoc solvuntur rationes supra positæ ad ostendendum, quod tempus non sit, quia componitur ex partibus non existentibus: patet enim ex prædictis, quod non habet esse perfectum extra animam, sicut nec motus* (4). Alio modo etiam dici potest, tempus complementum accipere ab anima, nempe in ratione mensuræ durationes motuum mensurantis. Nullus enim motus est, qui

(1) Non semel scripsit S. Thomas, tempus compleri per operationem intellectus, numerantis prius et posterius (ita v. g. 1.^o dist. 10, quest. 2, art. 1; et *Physicor.* lib. 4, lect. 23, paragr. e); verum alibi (opuscule de *Tempore* cap. 1.) contrarium discrete docuit.

(2) Aristot., *Physicor.* lib. 4, cap. 14, text. 131.]

(3) Vide v. g. S. Thom. (ibid. lect. 23, paragr. e), Conimbricenses (ib. in comment. capit. 14, text. 131), Tolet. (ibid. in *Commentar.* text. 131 et quest. 15), Sylvest. Mauri (*Aristot. Opera omnia... paraphrasi*, etc. *Physicor.* lib. 4, cap. 10, num. 3 et 4) etc.

(4) S. Thom. (*Physicor.* lib. 4, lect. 23, paragr. e). Cfr. Toletus (*Physicor.* lib. 4, quest. 15), Benedictus Pererius (op. cit. lib. 12, cap. 3) etc.

ex sua natura sit mensura aliorum; sed ab intellectu assumuntur quidam motus ad hoc munus, ut cum tempus solare adhibetur ad dimetiendas cæteras durationes successivas (1). Ex hoc tamen modo loquendi minime sequitur tempus non esse ens reale; quia quamvis simul et secundum totalitatem suam non est extra mentem ordinantem, ac numerantem partes priores et posteriores, sed solum in intellectu, annus vel dies instar unius complete existentis, nihilominus successive et in fluxu totus est in re, totusque realiter labitur, nemine cogitante. Idque respexerunt potissimum illi, qui negarunt tempus accipere ullum complementum ab anima. Quare forte non est quoad rem magna discrepantia inter auctores utriusque sententiæ.

ARTICULUS III.

An et quomodo res sint in tempore, et quarumnam durationum sit tempus mensura.

329. Quemadmodum agentes de loco et spatio, diximus, quænam res, et quomodo sint in loco; oportet nunc simili modo inquirere, quænam sint in tempore: habent enim hæc magnam inter se analogiam et affinitatem. Primo autem animadvertendum est, quid sit *esse in tempore*: potest quippe id dici proprie et improprie. Improprie dicitur esse in tempore res quævis existens, dum certum aliquod tempus præterit. Id enim satis non est, ut res vere ac simpliciter sit in tempore; sicut ad hoc ut aliquis proprie dicatur esse in tempore vel aliquo in loco, non sufficit, ut existat, quando tempus vel locus existit: videlicet mera cœxistentia rei cuiusvis et temporis non est ratio sufficiens, ut illa denominetur existens in tempore. Quocirca rem esse in tempore secundum vocis proprietatem importat aliquem modum essendi peculiaris naturæ ipsius temporis, ratione cuius temporis coaptari et mensurari queat: sicut etiam propriissime dicuntur esse in loco, quæ cœextenduntur, et commensurantur, et cœercentur illo. Unde illa omnia, quæ tempore mensurantur, eoque,

Quid sibi velit esse in tempore, sive proprie sive improprie.

(1) Cfr. Suarez (*Melaph.* disp. 50, sect. 10, num. 10).

prout addit Philosophus, comprehenduntur, et exceduntur, proprie dicuntur esse in tempore; secus vero ea, quæ tempore nequeunt mensurari (1).

Quid
mensura
et quotuplex.

Porro mensura proprie dicitur de quantitate, ac duplex distingui potest activa et passiva. Activa est ea, quæ apta est ad aliud mensurandum, et in hanc quadrat aristotelica definitio, qua mensura dicitur *id, quo primo quantitas rei cognoscitur* (2); passiva est ea, quæ apta est ab alio mensurari. Mensurare proinde est unam quantitatem ad aliam applicare, ut illius ope hujus magnitudo innotescere queat. Distinguunt etiam aliqui mensuram intrinsecam et extrinsecam. Intrinseca vel etiam formalis est, quæ rei ipsi mensuratæ inest tanquam forma ejus; quo pacto quidam quantitatem fortasse voluerunt esse mensuram intrinsecam substantiæ corporeæ (3); et simili modo tempus dicitur ab aliis mensura esse motus (4). Extrinseca est, quæ est extra mensuratum. Jam quod attinet ad respectum, qui inter mensuram propriam et mensuratum intercedit, notissimum est illud proloquium: *Mensura debet esse homogenea mensurato*. Homogenitas vero ista non postulat necessario, ut mensura et mensuratum sub eodem genere proximo contineantur: immo vero neque esse necesse, ut contineantur sub remoto genere, sed eam dumtaxat requiri convenientiam, quæ sufficiat ad debitam proportionem et comparisonem inter mensuram et mensuratum necessariam, scribit Eximius Doctor (5). Cæterum quamvis tempus cuiusvis motus adhiberi posset pro activa mensura, tamen de facto fere unicum tempus solaris motus adhibetur saltem tamquam primaria et principalis mensura cæterorum motuum. Hisce præstitutis,

Mensura
debet esse
homogenea
mensurato.

(1) Vide Arist. (*Physicor.*, lib. 4, cap. 12, text. 114); et ibidem interpretes, ac nominatim S. Thomas (ib. lect. 20; et opusc. *de Tempore*, cap. 3).

(2) Aristoteles (*Metaphys.*, lib. 10, cap. 1, text. comm. 2). Vide S. Thomam (ibid. lect. 2 initio). Suarez (*Metaphys.*, disp. 40, sect. 3, num. 3 seqq.).

(3) Vide Suarez (loc. nup. cit. num. 2 et 11).

(4) Vide Toletum, *Physicor.* lib. 4, quæst. 12, *Tertia conclusio*.

(5) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 10, num. 5-7.

330. DICO 1.^O Omnes motus physici et corporales sunt in tempore, ac tempore mensurantur, vel certe mensurari possunt.

Resque patet per se. Quia cum tempus sit numerus motus secundum prius et posterius, ea proprie sunt in tempore, quæ prius et posterius habent in suo esse atque entitate. Talis autem est omnis motus physicus secundum suam triplicem speciem alibi declaratam.

Omnes
motus physici
sunt in tempore,
ac tempore
mensurantur.

Porro in hisce motibus tempus primo et per se mensurat moram et durationem eorum; quemadmodum ipsa experientia demonstrat, et etiam ratio: Quia mensura debet esse homogenea mensurato; quare metitur ipsum mensurabile, quatenus habet conditionem ejusdem generis. Secundo tempus metitur etiam velocitatem ac tarditatem motus; non tamen per se solum, sed adjuncta quantitati spatii vel subjecti ejusdem: «nam per comparisonem ad utramque quantitatem velocitas cognoscitur, eo quod velocior motus sit, qui æquale spatium in minori tempore, aut majus spatium in æquali tempore pertransit. Denique consequenter etiam metitur uniformitatem aut difformitatem motus; nam hæc con-surgit ex æquali vel inæquali velocitate partium motus» (1).

Tempus
primo metitur
durationem
motuum;

deinde etiam
velocitatem
ac tarditatem,

et uniformitatem
aut
difformitatem.

Illud tamen nota, tempus, ut nobis quidem videtur, proprie loquendo non esse mensuram motus illius, cujus est duratio, sed alterius distincti: idque sequitur ex identitate reali temporis ac motus superius stabilita. «Quia nulla res est mensura sui ipsius, præsertim loquendo de mensura reali. Item quia mensura sumitur ut medium ad cognoscendum id, quod mensuratur; nos autem non cognoscimus, quantum duret actio, per propriam et intrinsecam durationem ejus, sed comparando illam cum alia distincta duratione, cujus quantitas nobis notior est. Quod si actionem aliquam per suamet durationem cognosceremus ita, ut statim sine alio medio de illa judicare possemus, non uteremur illa tamquam mensura, sed immediate et per seipsam illam cognosceremus».

Tempus
non est proprie
mensura
motus illius,
cujus est duratio,
sed alterius
distincti.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 11, num. 2. Vide ibid. num. 3 et 4.

Neque obstat instantia, quam aliqui obijciunt de tempore solis, quod est mensura intrinseca ejusdem motus, utpote qui non mensuratur alia extrinseca mensura.

«Respondetur enim *negando* assumptum, loquendo proprie et adæquate de mensura intrinseca; sed ad summum possumus per unam partem illius motus repetitam mensurare totum, ut per horam diem, et per diem annum etc. In quo mensurandi modo jam est mensura in re aliquo modo distincta a mensurato. Ipsum tamen totum per seipsum mensurare non possumus, neque designatam partem etiam minimam, per seipsam; sed oportet illam supponere aut per seipsam notam sine mensura, aut alia extrinseca duratione uti ad sumendam certam de illa notitiam...» (1).

Deus
non est proprie
in tempore.

331. Dico 2.^o Deus nullatenus est proprie in tempore, nec tempore mensuratur.

Et ratio est, quia Deus nullam patitur mensuram sui esse, nec potest contineri ullis limitibus durationis, sed est in sua æternitate actualissima existens absque ulla successione, excedens omne tempus, et exigens præsentem esse omni tempore, sive actuali sive possibili, in plena vitæ suæ possessione.

332. Dico 3.^o Æviternæ substantiæ non sunt in tempore, nec proprie tempore mensurantur; secundum esse substantiale ac proprietates connaturales; aliquæ tamen earum actiones possunt in tempore esse (2).

Æviternæ
substantiæ non
sunt in tempore,
nec tempore
proprie
mensurantur;

Prima pars patet ex dictis superius ac probatis in *Ontologia* circa naturam ævi. Si enim esse substantiale incorruptibile substantiarum est omnis expers successione, sed est totum simul; nequit proprie esse, nec contineri, nec mensurari tempore: sicut nec ipsa earum substantia mensuratur ulla extensione, sive locali sive quantitativa (3). Et

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 10, num. 4.

(2) Vide S. Thom., 1^a p., quæst. 10, art. 5, ad 1.^{am}; 2.^a dist. 2, quæst. 1, art. 1.^{am}, in corp. et ad 4.^{am}; de *Potent.*, quæst. 3, art. 14, ad 9.^{am} eorum, quæ in contrarium obijciuntur; *Quodlib.* 10, art. 4.

(3) Cfr. Aristot. (*Physicor.*, lib. 4, cap. 13, text. 117), S. Thom. (*ibid.* lect. 20, paragr. e).

idem dicendum est de accidentibus connaturalibus harum substantiarum, quibus certe sua inest existentia et duratio propria naturaliter incorruptibilis.

Dices. Angelus non potest tantum intuendo seipsum aut alium angelum cognoscere, quantum duravit, nisi durationem suam vel alterius ad nostrum tempus comparet. Ergo tempus nostrum potest esse mensura ipsis angelis ad durationem suam cognoscendam. Et probatur antecedens; quia cum ejusmodi duratio indivisibilis in se sit, non habet ex se, quod si quanta, ac proinde nec cognosci prout talis, nisi per comparisonem ad aliquam durationem quantam.

Resp. concedendo durationem indivisibilem non posse cognosci «ad modum quanti», nisi cum aliqua habitudine vel connotatione successione, aut existentis aut possibilis seu imaginariæ. Unde ut angelus cognoscat, quantum ipse duraverit, ex quo creatus est usque modo; necesse est, ut cognoscat quanto tempore successivo cõextiterit, vel cõexistere potuerit; quia alias non poterit concipere suam durationem ut quantam, quia hæc denominatio non convenit illi ab intrinseco et secundum se... Hinc tamen non fit, ut angelus utatur tempore ut mensura ad eam cognitionem; sed solum sequitur illam cognitionem ex parte objecti esse aliquo modo respectivam, et ideo non posse cognosci unum extremum, nisi ut terminatum et comparatum ad aliud» (1).

Secunda pars asserti declaratur. Nam actus angelorum plures distingui possunt: alii sunt perennes et indefectibiles; sive naturales, ut cognitio sui; sive supernaturales, ut visio beatifica et cæteri eam consequentes. Et hi quoniam indivisibiles sunt et incorruptibiles, indefectibili duratione durant; priores quidem ævo, quia naturales sunt, posteriores vero vel eodem ævo, vel ut aliis magis placere superius significavimus, æternitate participata, quia habent esse supernaturale (2): qua de re discernere ad Theologos spectat. Alii vero

possunt tamen
mensurari
secundum
aliquas actiones

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 11, num. 14; ubi vide etiam quæ sequuntur usque ad finem ejusdem sectionis, et *ibid.* num. 7.

(2) Cfr. superius dicta de hoc, ubi de differentia temporis ab ævo et æternitate. S. Thomas tamen (in 2.^o libro *Distinct.* 2, quæst. 1, art. 1 ad 4.^{am}) docet operationes angelorum, quæ vicissitudine carent, quarum exemplum ponit in visione, qua res vident in Verbo, durare ævo.

actus vel sunt actus intentionales naturalis ordinis, vel locales motus sui ipsarum, vel actiones transeuntes. Et in quibusdam harum actionum dari potest vera successio et ratio motus; in aliis quidem motus physici et corporei, in aliis autem motus spiritualis. Sicut in actionibus transeuntibus, quas angeli exercent circa corpora, datur motus physicus materialis in ipsis corporibus receptus; et in motibus localibus ipsorum angelorum et in mutationibus gradualibus augmenti vel intensionis, quæ reperiri possunt pro ipsorum libertate, in actibus intellectus vel voluntatis angelicæ, ut superius innuebamus, tempus spirituale describentes, considerari potest successio et motus quidam spiritualis. Itaque hujusmodi actus incorruptibilium substantiarum dici queunt esse proprie in tempore, ac tempore, sive corporeo sive spirituali, pro earum conditione mensurari. Denique sunt alii actus simplicissimi et indivisibiles, quales sunt actus liberi et mutabiles intellectus et voluntatis prædictarum substantiarum, quæ non illico transeunt, sicut instantia temporis, sed diu perdurant; et nihilominus quamdiu durant, nullam in seipses successionem partium extensionemve continent. Quia vero non sunt æterni, labuntur tandem, pro arbitrio ipsarum, et alii aliis succedunt. Quare isti actus intrinsece non durant in se ipsis duratione temporanea, sed alia, quæ dicitur *instans angelicum*; eorum autem collectio, quia successionem quamdam discretam importat, durat *tempore discreto* (1).

333. Dico 4.^o Substantiæ corruptibiles communissime dicuntur esse in tempore. Id tamen ita intelligendum videtur, ut non sint, nec tempore mensurentur primo ac per se et secundum esse substantiale; sed solum ratione motuum suorum.

Substantiæ
corruptibiles
sunt quidem in
tempore;

Prima pars desumitur ex communissimo loquendi modo. Nam sicut æternitas est propria mensura ipsius esse permanentis, ita tempus est propria mensura motus. Unde secundum quod aliquod esse recedit a permanentia essendi, et subditur

(1) Vide S. Thom. (2.^o disp. 2, quæst. 1 ad 4.^{um}). Cfr. superius dicta de divisionibus temporis, et in *Ontolog.*, num. 368, pag. 1059, 1060. Cfr. etiam Cardin. Aguirre (*Physic. disp.* 30, sect. 3, num. 32).

transmutationi, secundum hoc recedit ab æternitate, et subditur tempore. Esse ergo rerum corruptibilium, quia est transmutabile, non mensuratur æternitate, sed tempore. Tempus enim mensurat non solum, quæ transmutantur in actu, sed etiam quæ sunt transmutabilia: unde non solum mensurat motum, sed etiam quietem, quæ est ejus, quod natum est moveri et non movetur (1). Substantiæ itaque corruptibiles habent quidem esse permanens, nec sunt in perpetuo fluxu, sicut motus; sed cum sint intrinsece transmutabiles, obnoxie sunt mutationibus, ut constat passim in generationibus et corruptionibus, mixtionibus vel combinationibus ac mixtorum dissolutionibus: in ipsis quoque viventibus adest fere continua amissio et acquisitio substantiæ per nutritionem et augmentationem. Quæ omnia inter certos temporis limites cœrentur; et sic sollemne est hominibus, corporum in existentiâ durationem per tempus mensurare.

Secunda pars non ab omnibus admittitur. Plures enim auctores, ut Albertus M., Cajetanus et Soncinus apud Antonium Rubium, et P. Petrus Fonseca (2), tenent esse substantiarum corruptibilium «cum continuis mutationibus et motibus subditum sit, tempore mensurari... non solum ratione motuum, sed etiam per se immediate, et ideo immediate esse in tempore, et non solum ratione motus» (3). Alii vero, quorum doctrinam sequimur, existimant, substantias corruptibiles secundum suum esse substantiale non mensurari, nec esse in tempore per se primo, nec immediate ac ratione sui, sed solum ratione motuum et mutationum, quibus obnoxie sunt, ac proinde secundario et per accidens. Ita videntur sentire Scotus, Henricus, Hervæus ac Durandus (4), et Suarez (5), Toletus (6) ac Rubius, qui addit (utrum vere, non mihi satis constat) ita sentire *modernos*

non tamen
per se primo
secundum esse
substantiale,
sed solum
ratione suorum
motuum.

(1) S. Thom. (1 p. quæst. 10, art. 4 ad 3.^{um}). Vide Aristot. (*Physicor.* lib. 4, cap. 13, text. 110, 120), et S. Thom. (*ibid.* lect. 20 fin.).

(2) Fonseca (*Metaphys.* lib. 5, cap. 13, quæst. 12, sect. 3). Cfr. Joanne a S. Thom. (*Physic.*, quæst. 18, art. 3, *Dico ultimo*).

(3) Rubius, *Physicor.*, lib. 4, tract. *de tempore*, quæst. 5, num. 60.

(4) Apud Fonseca et Rubium locis citatis.

(5) *Metaphys.*, disp. 50, sect. 11, num. 11. Cfr. sect. 7, num. 3 seqq.

(6) *Physicor.*, lib. 4, quæst. 14, ad 3.^{um}

fere omnes. Utraque sententia S. Thomam et Aristotelem pro se allegant in iis fere locis, quos in primæ partis probatione laudavimus. Ratio itaque assertionis nostræ ex eo desumitur, quod esse substantiale corruptibilem substantiarum, quantumvis sit transmutabile, secundum se ipsum permanet, nec durat successiva duratione, quemadmodum jam superius innuimus, magisque in *Ontologia* (1) declaratum reliquimus. Nam ejusmodi substantiæ quamdiu non transmutantur, actu stant in *esse*, idque patet non solum in inanimatis, sed etiam in animatis, quæ nutriuntur, et auge-scunt; nam illæ quoque simpliciter permanent in suo *esse* substantiali, et partes illæ, quas successive nutritione acquirunt, in facto *esse* permanenter durant, aliæ vero, quas successive amittunt, habuerunt suum *esse* perdurans. Quod nisi concedatur, nec physica nec moralis identitas viventis per totam suam vitam sustineri potest. Si ergo corruptibiles vere permanent aliquandiu absque successione in suo *esse* substantiali, quamdiu ita durant per se ac ratione sui non mensurantur tempore, quia tempus non est mensura homogenea durationis permanentis. Quæ res illustratur exemplo modi essendi substantiarum immaterialium in loco: nam substantiarum corruptibilem *esse*, quamvis intra certum tempus sæpissime cõerceatur, et comprehendatur, est tamen per totam illam durationem modo quodam simili, ac substantiæ immateriales sunt in loco definitive. Angelus v. g. est quidem intra finitum ac limitatum spatium, non tamen ideo commensuratur loco, sicut corpora; quia ita præsens est illi spatio, ut totus sit in toto, ac totus in singulis partibus. Ita etiam *esse* substantiale corruptibilem substantiarum per totum temporis ambitum, quamdiu durat, ita est, ut idem *esse* permaneat in tota durationis illius extensione ac in singulis ejus partibus. Itaque tempus solum mensurat tamquam mensura propria et homogenea durationem motuum; durationem autem substantialis *esse* corruptibilem substantiarum non potest mensurare nisi per accidens et ratione alterius, nempe ratione motuum ac mutationum, quibus *esse* istud natura sua obnoxium est.

(1) *Ontolog.*, num. 367, pag. 1058.

Sententiam hanc dissertissimis verbis tradidit Aquinas in opusculo *de Tempore* (1). *Mobile considerari potest dupliciter: vel quantum ad suam substantiam, vel quantum ad suum esse. Si consideratur quantum ad suam substantiam, sic non mensuratur tempore, eo quod substantia mobilis in quolibet Nunc temporis est, nec habet successionem nec prius nec posterius. Si autem consideretur quantum ad suum esse, hoc potest esse dupliciter. Quia aut considerari potest quantum ad suum esse substantiale, aut quantum ad suum moveri. Si consideratur primo modo, sic non mensuratur tempore; secundo autem modo mensuratur tempore, moveri enim mobilis non est totum simul, sed successivum.*

Cæterum non omnes assertores hujus doctrinæ conveniunt in assignando genere durationis substantiis corruptibilibus: quæ controversia potius esse videtur de solo nomine. «Scotus existimat (*esse* substantiale corruptibilem) mensurari ævo, quia *esse*, inquit, *cujuscumque substantiæ est permanens*: Existimat enim omnem existentiam creaturæ, quæ non est successiva, sed permanens, mensurari ævo, sive ex se sit defectibilis, sive solum per potentiam in alio. Henricus Gandavensis, quia *esse* substantiæ corruptibilis ita est permanens, ut tandem deficiat, credit durationem illius, qua deficit a ratione veri ævi, vocandam esse modum ævi. Herveus et Durandus propter rationem Henrici, potius volunt illud mensurari instanti permanente, seu temporis discreti, ut operationes angelicæ immanentem (2). Alii vero dicunt durationem istam vocari posse tempus intrinsecum, distinctum tamen a veri nominis tempore seu successiva duratione hactenus declarata. Verum quæstio ista de nomine, quo duratio ista permanens simul et intrinsece defectibilis rerum corruptibilem vocanda sit, parum refert, dummodo ea reapse distinguatur et ab æternitate et ab ævo, et a proprie dicto tempore.

(1) Cap. 3, versus finem.

(2) Fonseca (*Metaphys.* lib. 5, cap. 13, quæst. 12, sect. 3.) Cfr. Rubius (loc. cit. num. 63), Suarez (loc. cit. sect. 7, num. 5), et *Ontologia*, num. 367, pag. 1058.

Qualis generis
sit duratio
corruptibilem
substantiarum.